facta eſt, ad eum annum additi ſunt adhuc quindecim anni, adeò ut viginti novem annis regnaverit, cæpit autem regnare anno ætatis 25. Non autem ægrotavit ante cladem Sennacheribi, quia Eſaiæ 37.2. tempore obſidionis miſit legatos, ivit in templum, accerſivit prophetam, quod vehementer ægrotus facere non potuit, ægrotavit autem uſq; ad mortem, & ſic ſæviſſimos cruciatus propter morbum ſenſit.

Quando.

Pii ſubjecti cruci.

Diſcimus pios ſubjectos eſſe cruci & continuis calamitatibus exerceri, nunc bello, nunc morbis, nunc orbatione liberorum, nunc aliis plagis affligi: Idem accidit Jobo, Paulo, 2. Cor. 7. 5. *Foris pugnæ, intus timores.* Ideò ad perpetuam militiam parati ſimus.

Sed crux non eſt indicium DEI irati contra pios, ſed animi paterni, quia Hebr. 12. 6. dicitur. *Quem diligit Dominus, caſtigat.* 1. Pet. 4. v. 17. *Tempus eſt ut incipiat judicium à domo Dei.*

Denũciatio mortis.

Præcipe domui tuæ) Jubet, & mandat DEUS Ezechiæ, internuntio Eſaiâ Prophetâ, ut res regni & ſuas diſponat, idq; maturè niſi morte præveniri velit.

Diſponendũ domui.

Sic cuique noſtrûm præcipi putemus, ut ante mortem rebus & domui noſtrę proſpiciamus. Duplicem autem domum procurandam habemus, cæleſtem pro anima & temporalem pro poſteris. Cæleſtem diſponimus

nimus